


...scos Iuventutis Crac. Episco...
dium in obitum Iacobi Ianidło.



EPICOEDIVM
IN
OBITVM
Admodum Reuerendi D. Patris
IACOBI IANIDLO,
I. V. D. & PROFESSORIS
CANONICI SANDECEN:
Sedis Apoſtolicæ Protonotarii, Almæ Academiæ Cracouien: Procancellarii.

A

STVDIOSA POESEOS IVVENTVTE,
obſeruantiæ ergò concinnatum.

ET

Admodum Reuerendo

D. LVCÆ DOCTORIO, S. T.
DOCTORI, CANON: CRACOVIEN:
Præpoſito Oswięcimen: &c. cæteriſq;
DD. Exequutoribus dicatum.

CRACOVIÆ
Typis Martini Horterini, 1620.

CENOTAPHIVM.

VIATOR.

QVISQVIS ES.
Siſte gradum, & inſpice fatum meum.

IACOBVS IANIDŁOVI-
VS, NOBILIS & CLARVS.

GENIO.
INGENIO.
DOCTRINA.
IVRE.
CIVILI & PONTIFICIO.

Vixi vitam,
DEO, PATRIÆ, ACADEMIÆ
dicatam.

Vidit Atropos & inuidit ſtamen vitæ, dum tale nihil expecto ſubcidit, ac in occaſum hunc præcipitauit; & hic

HEV QVIESCO.



In hoc tali & puſillo conditus Cyppo
Tu ſortem meam expende: tuam cogita
& omnia humana caduca, ac prorſus
NIHIL.
Atq; iam àntea talia contemne.
Namq; etiam tu breuis & vitæ incertus longæ,
Longa aut magna quid curas
in vita?
Ad me te appara, & dum viuis,
Apprecare.
Feliciter vt quieſcam.

Nicolaus Dobrocieski, amoris ergò mœrens P. P.

ELEGIA.


VM Deus omnipotens magnos subiisse labores
IANIDLO sacrâ pro pietate videt.
Constituit subitò supero deducere cœlo,
Prœmia cui tanto digna labore daret.
Aligerum mittit, qui terræ sedibus imis
Efferat, & celsâ ponat in arce poli.
En confertur ei quod quondam dicitur illis,
A Phœbo summi muneris esse datum.
Infirmam propriis qui deduxêre parentem.
Viribus, ad magni splendida templa Dei:
Quæ dum thure pio veneratur Apollinis aras,
Vt natis tribuat prœmia digna suis.
Munere pro tanto mortem largitur Apollo,
Maiora haud potuit præmia nempe dare.
Sic IANIDLOVII numen pro fortibus ausis,
Ad nitidi sumit regia tecta poli.
Quem dum terrenas aduertit linquere sedes
Mundus, & æthereæ scandere regna domus.
Conqueritur mundo tantum contingere munus
IANIDLO Manes vendicat esse suos
Sydera constanti rutilantia Marte resistunt,
Ac animam supero syderis orbe locant.
Ambo suum referunt, Mundus concertat Olympo:
Sed tamen in pugna vincit Olympus ouans.

 Haud

Haud aliter certâsse ferunt de stirpe Pòëtæ
Quem primum Graiis terra Pelasga dedit.
Quàm fera bella ciet cum celso sydere tellus,
Vt pectus tanti posit habere ducis.
Ista suum cupiit; contra retinere volebat
Illud, quo secum prælia sæua gerat.
Hic etenim magnus cunctorum tutor, & acer.
Defensor sacræ relligionis erat.
Ille repellebat rabiosi Dæmonis astus,
Et Stygio rapuit læta trophæa duce.
Æquus erat scelerum vindex, & cultor honesti:
Et depressa tulit Palladis arma polo.
Omnia quæ Diuûm spectant promouit honorem,
Et studuit rebus consuluisse sacris.
Post vbi victorem Cælum capit orbe triumphans;
Mox terrena graui plena dolore gemunt.
Emittunt querulas per Craci mœnia voces,
Et mœstos gemitus ingeminare solent.
Planctibus asiduis resonant lugentia cuncta
Ac vrbis vastæ splendida tecta dolent.
Singula supremo tristantur sacra Tonanti
Templa, nec antiqui signa decoris habent.
Iustitiæ delubra suo de marmore promunt
Fletus, dum cernunt hunc cecidisse virum.
Fana sacræ fidei rigido mœrore queruntur
Ac aræ vultu mœstisonante cadunt.
Cessit honor priscus, templorum gloria cessit,
Et cessit Matris lausq; decusq; piæ.

Tristi-

Tristitiam referunt Musarum docta Lycæa,
Fama quod Aonii desiit ampla chori.
Doctus Apollo melos non personat amplius vllum;
Tristia sed posito pectine metra canit.
Turba nouenarum luget veneranda Sororum,
Et fletu madidas irrigat orba genas.
Istulei poscunt tribui sibi Numina fluctus,
Et Clarii fontis flumen adire solent,
Vt largo possint deducere funera fletu,
Tristitiæ causas vt renouare queant.
Numina Nympharum quæ tempus montibus altis
Traducunt, lachrymas fundere ritè student.
Hucq; citis properant; nunc illuc gressibus omnes,
Vt referant reliquis tàm fera fata choris.
Et collecta simul largos emittere planctus
Haud cessant, manibus dilacerantq; comas:
Et tristi fundunt lachrymarum lumine fluctus,
Lamentis oculos perpetuisque rigant.
Inclyta languescit maiori Academia luctu,
Quàm verum valeam dicere forte metris.
Luminis extincti defiet prætristia fata,
Atque viri tanti funere mœsta iacet.
Castalii proceres qui Palladis arma sequuntur,
Castra volunt doctæ linquere militiæ.
Ingeminant toties ingentes ipsa dolores
Bellerophontæi numina dia chori.
Et mæstos recinunt lachrymoso carmine cantus,
Deflentes proprias ore gemente vices.

 Dum

Dum fors agnoſcunt celebris pia numina Phœbi
Ac optata ſuo lumine rapta vident.
Sic ſua mœſtiſono deplorant fata dolore,
Qui ſtudio Muſas feruidiore colunt.
Ipſa dolent Regum conſtructa palatia ſumptu
Magno, priſcorum Pieriæq; domus.
Langueſcunt cuncti nimio ſquallore gemuntque
Et lachrymas oculis vix retinere queunt,
Mœſta nec aſsiduo tabeſcere lumina planctu,
Nec triſti ceſſant imbre madere genæ,
Tegmine quo nuper corpus veſtire ſolebant;
Deſiſtunt, pullâ membraq; veſte tegunt
Pectora lætitiæ ſignum teſtantia linquunt:
Et niſi mœrorem fronte referre volunt.
Gloria Muſarum prætriſti Academia luctu
Squallet, & infauſto plena dolore madet.
Non ſic amiſſo triſtatur Principe regnum
Nec ſic proſtrato iam duce Caſtra dolent.
Non ſic rectorem triſtes in gurgite merſum,
Illachrymant nautæ, puppis & ipſa gemit.
Vt cuncti properâ IANIDLO morte peremptum
Deflent, ſic tantum ſuccubuiſſe ducem
Principe priuatos ſe triſti voce queruntur,
Annos quem cupiunt viuere Neſtoreos.
Ergò lætitiam referet mea Muſa canendo?
Ergò non lugens carmina læta canam?
Iſtula fluctiuagi tu confer fluminis vndas:
Tu tingas oculos Maxime Apollo meos.

Vo s mihi Gorgoneo concedite fonte sorores,
Pegaseæ latices, vos tribuatis aquas.
S pes etenim cecidit doctarum certa Camœnûm,
Et tantum sydus tempora sera dabunt.
Clara per eximii discurrens compita Craci
Fama meat cunctis nuncia mœsta ferens.
Iu re tuos igitur laceras Academia crines,
Et turpas lachrymis ora genasque tuis.
Dum tibi tàm rutilans aduertis lumen ademptum
Et veteri temet luce carere vides.

Sigismundus Mogilnicki.

TVMVLVS.

QVIS HIC SEPVLTVS QVÆRIS? HOSPES INSPICE
THEMIS, FIDES, PIETAS, HONOR, DECVS, SALVS
IANIDLO PATRIÆ, ET STYLI, ET LINGVÆ IACET.
CVI NOMEN ÆTERNVM MINERVA CONTVLIT.
ABIERE CVNCTA; SOLA FAMA PERMANET
OLIM FVIT; SED NVNC ABEST: QVO: CORPORE,
GESTIS PERENNAT INCLYTIS, AT CÆTERA
HVMANA QVÆ SVNT FVMVS, VMBRA, VANITAS,
RELIQVIT, HVIC VIATOR OPTATVM. VALE.

Hieronymus Lubinski.

THRE-

THRENODIA.

CVius vultus Apollini
Gratus, quem celebri Pegaſidûm choro
Splendorem iuuenis dedit:
Vir preſſum extulerat iuſtitiæ caput,
Dum leges ſtatuit Themis
Et pellit nebulas fluctiuagi maris
Lucentem æthere ſplendido
Doctrina, ingenio, rebus in arduis
Extinguit Lacheſis fera
Extinctum ſubito lumen in àére
Sed ſerò capiunt manus
Qui ſedes ſuperas Palladis incolunt
Heu IANIDLO viri inclyti
Clotho falce citâ ſtamina ſuſtulit.
Cur trux Parca colum ſecas?
Eheu ſæua tuis illaqueas dolis
Hunc, quem Muſa vetat mori
Splendori patrio parcere neſcia.
Cunctos ille quidem obruit
Fletu; ſed grauiùs Palladium chorum
Quem fert dotibus ingenii.
Hinc quos celſa videt Roma Quiritium
Te, ſeu quos Padus alluit
Certabant paribus viſere greſsibus;
Nec nunc quærere deſinunt.
Sed iam Muſa tuis parcito fletibus.
Hic nunc ſcandit in æthera:
Illum Relligio, Iuſtitia, & Fides
In ſummo Solio Dei
Ponunt, emerito præmia conferunt.

CORRVIT ALTA COLVMNA.

Ode Tricolos Tetrastrophos.

MAgnis gementes tempora planctibus
Implete cuncti, qui colitis sacra
Doctæ Camœnarum cohortis,
Et bibitis latices Mineruæ.
Cessate lætum promere carmine
Pæana; verum tàm lachrymabilem
Deflete casum, dum columna
Funere mersa ruit feroci.
Nam sicut ædes, omnia splendida
Quamuis nitescant, fulgeat inclytis
Constructa sumptibus, nec auro
Hæc careat preciosiore.
Columna si fors corruat vnica
Qua roboratur celsa domus, perit
Omnis decor, tectumq; totum
Concidit, atq; premit manentes.
Columna nostri sic ruit inclyta
Cœtus, perempta qua gemitus viget,
Vnaq; pristinum recessit
Robur, & omnis honos Lycæi.
Tristem ruinam tota Academia
Minatur orbi, fulcro etenim caret
Quo fulciatur hanc columnam
Deperiisse dolet supremam.
Languescit omnis Pegasidum chorus
Decore veri nudus Apollinis,
Quem sæpè fulcrum præbuisse,
Nouimus Aoniis puellis.

Albertus Rudkovvski

Ode Monocolos Monostrophos.

QVis non tristisonis deuoueat modis
Sortem tàm celeris funeris impiam?
IANIDLO vt rutilis cernit honoribus
Ornari subitò laudeq; maxima.
Proponit rigidè rumpere stamina
Vitæ, nec patitur longiùs inuida
Laudis tàm eximiæ ducere tempora.
Vidit perpetuis laudibus inclytum,
Et virtute poli scandere culmina.
Vidit purpuream lucem Academiæ
Quo splendore sui luminis omnia
Instar flammiferæ lampadis irriget
Atratoq; volens funere luminis
Splendorem nitidum perdere, plurima
Fatorum serie constituit diem.
Ne plus forsan eum cerneret inclytum
Augeri, & superum luci Academiæ
Inferret cumulos tristitiæ feros.

Ioannes Poplavvski.

NVLLI CEDO.

OMnes perhorrent funeris potentiam
Sæui, timentq; fata mortis horridæ,
Et qui sequuntur castra Gradiui patris,
Et viribus qui præditi firmis valent,
Robustiorem te scias ipso licet,
Qui victor Hydræ fortis extitit, tibi
Quamuis Achilleæ manent vires; tamen
Non cedo cunctis viribus, nec legibus

Sum

Versantur ante lumen atra funera,
Sis ditior Cræso licet prædiuite,
Et imperes orbi, tuamq; sentiant
Cuncti potestatem: licet tectis tuis
Aurum coruscet lucidum, de marmore
Constructa quamuis sint tibi palatia,
Non tutus orbe transigis, vitæ tuæ
Tempus graui timore mortis concitus,
Et mente voluis vltimum vitæ exitum,
Sum sola quæ haud vereor vllam vim Hectoris,
Et cuncta cuius orbe parent legibus,
Roburq; sentiunt cadendo maximum.
Non me iuuentus terret, haud vis viuida,
Non principum summus decor me commouet:
Sed omne robur attero mortalium
Qui legibus parêre coguntur meis. *Martinus Kempski*

IVS CONSCENDIT OLYMPVM.

CErnens Iustitiam Ianidlo sperni,
A cunctis gremio rotundus orbis,
Quos complexus habet, fouetq; vasti,
Moles magna soli, sinu benigno.
Aulas sydereæ domus micantes
Mox conscendit ouans, humumq; tristem
Linquit fata videns, Themimq; sacram
Contemni vitiiq; pleniora
Turpis totius orbis esse iura.
Qui postquam misero recessit orbe,
Et cœli rutilas petiuit arces
Summè iustitiam colens polarem.
Primum nunc homines carere iure
Se creduntq; videntq; perbeato,

Ac iniustitiâ referta tristi
Cernunt cuncta, gemuntq; iuris huius
Ereptum sibi ad ætheris corusci,
Sedes auricomas subiuit astra
Ius excelsa petens, Themisq; sacra
Iniustum subitò reliquit orbem. *Nicolaus Rarowski.*

LVX EXTINCTA IACET.

PHœbus aurato rutilans nitore,
Dum suos condit radios sub vndas
Lumen,& vasto rapiens ab orbe
Aequore tingit.
Cuncta nigrescunt tenebris sepulta
Noctis obscuræ, renuuntq; lucem,
Et reconduntur gelidæ nigranti,
Vestis amictu.
Sic'q; IANIDLO facie serena,
Morte dum clarus rapitur feroci,
Et sacram celsas animam polorum
Mittit ad arces
Tristis immenso viget orbe mœror
Et coruscanti spoliantur omnes
Luce, cunctorumq; dolore plena
Pectora mœrent.
Lucis occasum lachrymis adornant
Tristibus, mœstos repetunt dolores
Quod sciant istis abiisse lumen
Sedibus altum. *Nicolaus Morski.*

DIALOGISMVS.

HONOR, ACADEMIA, IANIDLO.

HONOR. TRistis perpetuo quid fles Academia luctu?
Assiduoq; tuum cur madet imbre caput?
Forsi-

Forsitan amissi Ianidlo funera luges,
Ductaq; amore sui nœnia mœsta canis.
ACAD. Ferrea corda gerit qui nullo sæua dolore
Magni IANIDLO spargere fata velit?
Haud viget antiquo Musarum cætus honore,
Dum dux insignis tendit ad astra poli.
HONOR. Sed quid iam lacrymas oculis effundis inanes,
Cum capiat summæ symbola lætitiæ.
ACAD. En mihi splendoré vitæ cognoscis ademptum,
Nam IANIDLO polos funere sumpt⁹ abit.
IANIDLO. Ne lachrymis igitur cõspergas funera mœstis,
Alma parens lætum sed renouato melos.
Non vixi viuens; sed tristi morte premebar.
Nunc verò viuo, dum mea vita Deus.

Stanislaus Witkovvski.

MORS CVNCTA GVBERNAT.

PRælia Dìis quondam mouêre infesta Gygantes
Ætherei vt possent regna tenere poli.
Montes proiiciunt aduersus tela Deorum
Hæc, quibus instructus celsus Olympus erat
Turma licet signis surgat truculenta Gygantum,
Attamen ingenti fulmine tacta cadit
Bella homines cum morte cient de more Gygantum,
Viuere qui posśint plurima secla Dei.
Deiicit en miseros violenta ministra Tonantis,
Impetum vt illius nemo cauere queat.

Linquite mortales superis æquare salutem,
Cuncta ferox propriâ Mors ditione premit.

Ioannes Mogilnicki.

MORS IVRA SEQVVTA EST.

PRimus homo vt spreuit summi mandata Tonantis?
Debita mox tantum est pœna sequuta scelus.
Supremus solio Iudex consedit in alto,
Patratiq; vltor criminis æquus adest.
Iustum decretum ferimus pro talibus ausis,
Tollat vt è medio mors genus omne tuum.
Quis modo quidue feret contra decreta supremi:
Criminis innocuus nullus in orbe fuit
Vincula mortales frustra truculenta queruntur,
Mortis dum quemuis iura sequendo necat.

Paulus Skalski.

MORS OMNIA MVTAT.

Mens vobis famam iuuenes extendere factis
Cur seu Mars fortis, siue Minerua placet
Colligit alter opes; aut vestes murice tinctas
Alter deliciis: alter honore tumet.
Inuida mors hominum subito vota omnia mutat
Amplius haud miseris quod fuit ante manet
Fidite ne rebus socii mortalibus omnes
Quis fueram nostis, quis modo quiq; videt?

Albertus Zbyltowski.

MORS

MORS IANVA VITÆ.

QVid iuuenis trepidas dum cernis ſpicula mortis
Quæ contra iugulum dirigit atra tuum
Sollicitus numeras currentis tempora vitæ
Proxima quin corpus territat vmbra tuum.
Poſtremæ Mortis facies tibi ſæua videtur,
Et tua palleſcunt membra timore graui.
Quæ mortis natura rogas, en mortuus heros,
Oſtendit vitæ en ianua aperta meæ.
Vita hominum mors eſt, multorum plena dolorum,
Sic non mors; verùm vita vocanda mea.

Andreas Romenberg.

MANES DEFVNCTI, LECTORI.

MORTALIS.

QVid omnia tanquam immortalis concupiſcis?
Quid omnia tanquam mortalis times?
Sæpè cum modo, & deſine, quia deſines,
Deſii, & tutus aio.
Quicquid terroris habet mundus, contemno,
Quicquid delectabile habet, rideo.
Diuitias non cupio,
Paupertatem non horreo,
Mortem non timeo.
Abi, & cogita:
Vitam, ſi ſcias vti, longam eſſe.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0022123